Chronologia Prophetica fragmentis evulgatis: Tyran-
nidem Ecclesiasticorum nihil ea formidabunt. Averrun-
cet hanc Deus Opt: Max: à Prophetica historia, quasi
falcem Criticam semel admitteret, quid profana amplius
differret? Vale. Heidelbergæ, Februar. bissexto Anno 1608.

Johanni Branto Rectori Scholæ Wesaliensis. 88.
Salutem. Quoniam frater antiquissime, Commentario meo
ad Hebræos patronus quærendus fuit, celeberrimam Remp.
vestram Wesaliensem compellandam duxi, quam et ortho-
doxæ fidei commentario hoc meo assertæ et literarum
bonarum amantissimam esse duxi. Nec leviter me lu-
induxit Bernardus filius tuus nuper domesticus meus,
nunc pædagogus clarissimi viri D. Lefenii Consiliarii
Electoralis. Mitto igitur ad te exemplaria quinque compa-
cta, duo non compacta, ex quibus tibi et D. Rasfeldio
singula vindicato: reliqua cum literis meis per eunte
rogo cures meo nomine offerri, et studium meum meli-
orem in modum commendari amplissimo Senatui, ut meã
hanc compellationem in bonam partem accipiat, ex
iis quæ de urbis vestræ incunabulis et varia fortuna
ad me miseras excerpsi pauca, quæ potui per temporis
brevitatem. Vix enim absolvi admundinas utrumque
commentarium à typographo potuit, ipsum dico
ad Hebr. et alterum ad Corinthios, cujus etiam ex-
emplar vobis mitto. Serenissimus noster inde à
comitiis laboravit de unione saltem reali ordi-
num Evangelicorum conciliandâ adversus mo-
litiones Papistarum. Nec parum Dei gratiâ pro-
movit; sed quid non machinatur Satan? Luthera-
ni demagogi passim concionibus et scriptis
invehuntur in politicos: pacem cum Calvinistis
plebi dissuadent, metuentes ne sua collabascat

per conjunctionem talem auctoritas: nec videant pericula, quae sunt ante fores, attendentes. Tubingenses his nundinis emiserunt examen aliquod scripti nostri irenici et mei cujusdam, quod annos jam 15. inlatebris manserat. Verum huic etiam malo invenietur cures: Deus Ecclesiam suam respiciat, et Satanam conterat sub pedibus nostris. Bernhardus tuus cum discipulis adhuc haeret in superiore Palatinatu: et forte etiam haerebit: quia D. Lofenius famulum illuc transtulit ibidem mansurus. Aberit quidem ab Academia, sed cum viro doctissimo habebit scholam perpetuam. Saluta ex me virum D. Secretarium, cujus benevolentiam erga me ex tuis cognosco. Per eum vel per te rogo, ut quomodo amplissimus Senatus studium hoc meum acceperit mihi cognoscere liceat. Vale. Heidelb. 16. Septemb: 1608.

T. T.

D. Pareus.

89. Eidem idem S. P.

Tantum vero abest, mi antiquissime Branti ut tuae molestae mihi sint, ut semper jucundissimae, tantoque jucundiores, quanto antiquior est notitia nostra. Quod de filio Bernhardo sollicite scribis, patrem agis. Quidem inferat patris cura de filiis, expertus novi: Sed bene habet. Bernhardus tuus optimae indolis juvenis ita versatur in Academia nostra, ut sit nobis charus ob modestiam et studium singulare, nec obscura magna alicujus spei de se edat indicia. Initio laborabamus de luce in Coll. Casim. ei reperiundo. Sed cum legibus Collegii, quae gradus philosophicos alumnis

imponunt